The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Augustinus de questionibus octaginta quattuor (fol.5ra)

1. Alia sunt peccata infirmitatis. alia impericie. alia malicie. Infirmitas contraria est uirtuti. Impericia contraria est sapiencie. Malitia contraria est bonitati. Quisquis igitur nouit. quid sit uirtus et sapiencia dei potest existimare que sint peccata uenialia. Et quisquis nouit quid sit bonitas dei. potest existimare quibus peccatis certa pena deberatur. et hic et in futuro seculo.

   Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiae, alia malitiae. Infirmitas contraria est uirtuti, imperitia contraria est sapientiae, malitia contraria est bonitati. Quisquis igitur nouit quid sit uirtus et sapientia dei, potest existimare quae sint peccata uenialia. Et quisquis nouit quid sit bonitas dei, potest existimare quibus peccatis certa poena debeatur et hic et in futuro saeculo.

   Augustinus Hipponensis, *De diuersis questionibus octoginta tribus*, 26 (CCSL 44A, A. Mutzenbecher ed., p.32, ll.2-8).

2. Frui dicimur ea re de qua capimus uoluptatem. utimur ea. quam referimus ad id unde capienda uoluptas est. omnis itaque humana peruersio est. quod etiam uicium uocatur. fruendis uti uelle atque utendis frui.

   Frui ergo dicimur ea re de qua capimus uoluptatem; utimur ea quam referimus ad id unde capienda uoluptas est. Omnis itaque humana peruersio est, quod etiam uitium uocatur, fruendis uti uelle atque utendis frui; et rurus omnis ordinatio, quae uirtus etiam nominatur, fruendis frui et utendis uti.

   Augustinus Hipponensis, *De diuersis questionibus octoginta tribus*, 30 (CCSL 44A, A. Mutzenbecher ed., p.38, ll.10-15).

3. Vtile quicquid est utendo est utile. ita nemo utitur nisi utili. non ergo utitur. quisquis male utitur.

   Vtile autem quidquid est utendo est utile; ita nemo utitur nisi utili. Non ergo utitur, quisquis male utitur.

   Augustinus Hipponensis, *De diuersis questionibus octoginta tribus*, 30 (CCSL 44A, A. Mutzenbecher ed., p.39, ll.38-39).

4. Deus et animus cum amantur. caritas proprie dicitur. purgatissima et consummata. si nichil aliud amatur.

Deus igitur et animus cum amantur, caritas proprie dicitur, purgatissima et consummata, si nihil aliud amatur; hanc et dilectionem dici placet.

Augustinus Hipponensis, *De diuersis questionibus octoginta tribus*, 36 (CCSL 44A, A. Mutzenbecher ed., p.54, ll.4-6).

5. Caritatis uenenum est spes ad ipiscendorum aut retinendorum temporalium. Nutrimentum eius est imminutio cupiditatis. perfectio. nulla cupiditas. signum prouectus eius est. imminutio timoris. Signum perfectionis eius nullus timor.

   Caritatis autem uenenum est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium; nutrimentum eius est imminutio cupiditatis; perfectio nulla cupiditas. Signum prouectus eius est imminutio timoris; signum perfectionis eius nullus timor, quia et radix est omnium malorum cupiditas, et consummata dilectio foras mittit timorem.

   Augustinus Hipponensis, *De diuersis questionibus octoginta tribus*, 36 (CCSL 44A, A. Mutzenbecher ed., pp.54-5, ll.11-16).